

18 vero **C**alix benedictus in benedictione omni  
omni fratre **I**ustus ap̄t̄ est. **D**e pane q̄ sum  
**M**isericordia participacio corporis domini est.  
qm̄ vnuus p̄ens et vnuus coram multis sum  
omnes qui ex me p̄epane et ex me aliis p̄ante  
pani. **E**p̄ate q̄s̄ s̄t̄d̄n sum. **V**nde q̄  
ad̄ hostias particeps si vnuus. **H**oc dicit  
dico. q̄ uolū p̄mōlāt̄ sit̄. aud̄ aut̄ q̄  
p̄dit̄ sit̄ aliquid. **E**t q̄ vnuus aḡt̄ tener  
denominis p̄vredicant̄. **T**unc ad̄ **P**receptum  
nos sc̄iue fieri demonorum. **H**omopotes nūc  
domini biliae. **T**unc amonesto. **R**ec̄ re  
fusio mensē domini particeps. **I**ste. **V**erū  
demonium. **S**in simulacrum domini. **V**erū  
fictioes illius. **D**omini m̄lagent. **S**olus  
omniā expellunt. **O**mnia vniuersit̄ s̄t̄. **C**oncedit  
tant̄. **E**st̄ domino q̄ s̄m̄ q̄t̄ quem. **F**iḡo alia a  
Domine q̄ in misericordia venit mandante. in  
huius m̄nagat̄. **A**p̄te conscientie. **Z**as sunt. et  
tema. **E**plenitudine eius. **D**omine qui vnuus vnu  
misericordia. qd̄ vnuus et multus. **O**mnis qd̄ rebis

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Xd. 28,

DISPUTATIO.  
Institutionum Anatomicarum IX.  
*De*  
**C O R D E.**  
*Quam*  
D. O. M. A.  
SVB PRÆSIDIO  
**T O B I Æ K N O B L O C H I I,**  
Marcobrettani Fr.; Med. & Phil.D.  
*In celeberrima Witebergensium Academia*  
*defendendam fuscipet*  
**F r i d e r i c u s E c k a r d u s**  
Oppoliensis Siles.

*Ad diem 22. Sept. horis 8° loco notiis.*

(S): (S)

V V I T E B E R G A E,

---

Typis Cratonianis per Iohan. Gorman.  
Anno c I o I o C V I I.





## De Corde.

Medij ventris partes suprâ duplices esse diximus continentes & Contentas: de illis dictum est, de his dicendum restat Quæ & sunt duplices Viscera & Vasa. Viscera sunt Cor Pericardio vestitum & Pulmo. Vasa sunt Venæ & Arteriæ magnæ rami in jugulo Thymo glanduloso suffulti. Nervi sunt à sexta conjugatione Epatis & stomachi recurrentes, & deniq; Asperæ arteriæ, Arteriæ & Oesophagi pars. De corde Pericardio & vasis nunc agendum, de reliquis in sequentibus Disputationibus.

### C A P. I. De Thymo.

**T**Hymus. Gal. 1. 6. usu part. 4. *opus Germani Die Milich oder das Priss vocant, est corpus glandulosum, molle, spongiosum, juxta jugulum, sterno subiectum & divisionibus vasorum, Vena Canæ à quâ venulas nutritionis gratia quasdam recipit, & arteria magna securitatis causa substratum.* Bauh. l. 2. c. 15. Gal. admi. anat. 9.

### C A P. II. De Pericardio.

i. Involucrum Cordis est membrana, Cor totum cooperiens & nativâ humiditate continēs, ne cor ob continuos mot⁹, æstu incādesceret, ut

A 2

docet

doct Laurent. l. 9. c. 9. Archang. lect. 2. Græcis ~~ω~~<sup>ε</sup>νδρός est, circum cor undiq; protensum, vulgo Capsula, domicilium, Hipp.lib. de Cor. ωλέος vagina dicitur.

2. Substantia huius est mediocris neq; nimis dura neq; nimis mollis, si dura nimium esset, pulmoni obesset, si mollis ab ossibus dolore afficeretur. Annascitur Capsula cordis imis lateribus medianis: mucroni autem suo & dextri lateris portione magnâ, dia phragmati circulo nerveo annexatur, unde de dia phrag. & cordis sympathia assimilare licet.

3. Origo huius est à tunicis quatuor Vasorum que per capsulam hanc ad basin cordis penetrant, quibus vasis validissime ibi annascitur. Nullas fermè habet arterias venas paucas à Media stinis & Diaphragmate. Fall. nullas arterias habere scribit. Laur. arteriarum non meminit. Nervos etiam exiles habet.

4. Cava vena duobus foraminibus transmittitur, uno quo dia phragma penetrat, alterum quo ad jugulum ascendit.

5. Usus huius est, ut sit instar domicilij seu arcule qua comuniatur, & ab omni contactu alieno servetur.

Quid verò de aqua serosi humoris specie, in hoc involucro contenta scribitur, apud nonnullos controversū est. Existimat enim nonnulli spiritus cordis, in corporibus mortuis frigore cogi in eiusmodi madorē, sicuti aliquoquin vapor frigore in aquam commutatur, ac propterea in vivis talem aquam circa cor non colligi, ut docti. Veiga Comment. suis in 5. de locis affect. docet. Hipp. verò affirmat in lib. de cord. talem aquam in viventibus omnibus reperi, nam dicit: Adeò in ipsa tunica, humor modicus, veluti urina ut videatur cor in vesta diversari, item eodem loco ait: Fit autem humoris huius generatio, ut sanum cor in custodia florescat, & rursus d.l. hunc humorē, cor emungit bibendo ipsum, assumens & absorbens, pulmonis nimirum potum lambens. Vesal. 6. c. 18. suam sententiam sequentibus verbis explicat. An hominibus secundum naturam habentibus involucrum cordis aquam contineat quam,

quam serosi humoris modo in ipsius cavitate inter dissecanum re-  
positam observamus, mihi non admodum perspectum est. Quam-  
vis nullam sanè humani corporis sectionem unquam aggressus sum,  
in qua non multò eiusmodi aquæ quantitatem repererim: quo-  
cunq; etiam mortis genere, sive multò antè homo inte-  
riisset: etiam si adhuc majorem copiam in mulieribus quam viris  
animadvertebam: nisi illi natura admodum fuissent humida, ut  
alias serosis abundassent succis, Quinetiam minus etiam aqua in  
nuper mortuis adinveni, quam in his, à quorum sectione diutius  
temperasse. Is cui Bononiae cor vivo eximi spectavimus, aquam  
etiam in involucro continere videbatur: verum id non admo-  
dum commode, utcunq; etiam nos tragedia adjungeremus, expend-  
ere licuit. Patavij huius aquæ intuenda cupidi, pulsans adhuc  
cor cum pulmone, reliquisq; visceribus ilicò atq; ex his, quos vivos  
in quatuor partes dissecant, exemptum erat, in proximam phar-  
macopolæ officinam interdum deferri curavimus, ac in involucro  
aquam nonnullam reperimus. Vivi canes in involuci cavitatem &  
cordis superficiem humectas habēt, in hisq; nulla diffluentis aquæ  
observatur quantitas, cum tamen notata digna (etiam si fere sem-  
per mediocris) in aliquandiu mortuis canibus occurset. In porci  
verò viventibus plus aqua quam in canibus spectatur: ut etiam  
porci jam diutius mortui, illam utcunq; copiosam proponunt: adeò  
ut de vivorum aqua nihil asserere velim: verum nullam penitus  
in illis contineri (ut hodiè omnes ex Spiritu in aquam post mortem  
converso, hanc in mortuis reperiri contendentes affirmant) falsum  
esse novi. Quandoquidem membrana nullis partibus connata, neg<sub>r</sub>  
invicem harentes, perpetuò madida ac lubrice apparent, ut oculi  
palpebrarum interior superficies. Ad hunc quoq; modum mem-  
brana cerebrum investientes, ubi mutuò infernuntur, & interna  
costas succingentis membrana, & peritonai superficies, & jecoris  
quoq; & intestinorum, reliquarumq; partium, invicem tantum ac-  
cubentium, non verò connatarum superficies madorem lubrici-

quod est vibrare, denuo & perenni enim cetur motu cor. contactus gratia semper monstrati. Huic sententiae subscribit Columbus lib. 7. ubi sic ait: Pericardium à corde aliquantulum distat, quo loco aqueum quendam humorem natura collocavit, ut eo cor humectaretur: periculum etenim imminet, ne absq; hoc praesidio, ob frequentes, ne perpetuos dicam, ipsius motus, qui etiam sicut nobis in vita, cor exsiccaretur. Quem humorum non modò in viventibus, sed in mortuis quoq; deprehendes, licet de hoc Curtius Papensis dubitaverit: at ego hoc ita esse, non semel, sed sapius in publicis privatisq; vivi canis sectionibus aperte ostendi, ita ut nullus amplius dubitationi locus relinqueretur.

Utilitates huius humoris sunt. Ut cor seu calidissimum & perpetuo agitatum huius beneficio humectetur. 2. ut etiam cordis motus facilior reddatur. 3. ut cor innatet quo minus grave sit, ut Laurent. & Archan. volunt.

## De Accidentibus.

1. Situs ex cordis situ intelligitur.
2. Figuram cordis imitatur.
3. Magnitudinem eam habet, ut cor in hac capsula, quam nusquam attingit, liberè dilatari & constringi queat.

## CAP. III. De Corde.

Cor est princeps animæ domicilium, animæ irascibilis sedes, facultatis & spiritus vitalis fons, calor nativi focus & fomes, ex quo singularum partium calor nativus conservatur, eiusq; influxu recreatur arteriarum radix pulsuumq; autor. Gal. art. Med. 16. usi part. Arist. 1. hist. 7. 3. Part 4. & 7. item lib. de resp. 16.

1. Dicitur à currendo quia propter assiduos motus assidue currere videtur, Græci νερδιαν καὶ νερδιαν dicunt δοτι & νερδιαν, quod

Chrisippus uèdūlār, vocat quasi ueritātē quod principatum denotat, quia non sēcūs atq; cerebrum pars princeps est, huius major dignitas; illius maior necessitas hinc Arist. lib. 4. de gen. Anima. ait: Nunquam animal corde carens visum, cum propter caloris originem sit necessarium. Bauh.l. 2. Anal.

2. Substantia Cordis est Parenchima densum, sive caro densa & solida, ne spiritus & calor innatus exhalat. 2. Ne in validis motibus ut palpitatione, feb. & continua dilatatione & constrictione frangatur ut docent Arch. & Bauhi.

3. Omni fibrarum genere robustissima caro hæc, varie texta & implicata, non ut motui voluntario, sed naturali inserviat, qualis pulsus est, & fit sine defatigatione quia non ex nervorum agitazione pendet. Rectis enim fibris mucro ad basin contrahitur, atq; ita fit cordis  $\Delta$ λεσθη, sicut à transversis ουσολη, quies autem his interposita ab obliquis gubernatur; interim tamen communis fibrarum usus in sanguine & spiritu attrahendo, retinendo & expellendo, fibris illis minimè derogandus.

4. Connectitur beneficio Paricardij Medaistino & diaphragmati & per vasa omnibus partibus totius corporis. Arist. text. 45.

5. Vasa obtinet venam scilicet Coronariam à Vena cava trunco antequam in dextrum ventriculum inferatur ortam, que coronæ instar basin cordis cingit nutritionis causa. Arterias etiam duas ab aorta trunco prodeentes, caloris animalis & spiritus vitalis gratia. Nervos exiles à sexta coniugatione, vel à nervulis ad Pericardium missis, habet, sensus non motus gratia ut Arch. vult. Nervo hoc repente obstruēto, putant nonnulli repentinam & inopinatam mortem quam subitaneam vocant subsequi, & per consequens statuere videntur facultatem pulsificam non à corde sed cerebro oriri. Verum nos cum Gal. 1. 7. Anat. g. & Bauh. l. 1. pulsificam facultatem non à cerebro vel nervis, sed ex ipsis cordis corpore oriri, quia Cor thorace exemptum movetur quod fieri non posset, si à cerebro movendi & pulsandi facultatem habe-

ret.

ret. Gal.lib. 2, C. 7. de Placi. Hipp. & Plato. Columb. 14.  
Anat.

## De Ventriculis Cordis.

1. Cor licet in animalibus omnibus unicum sit, tamen secundum Anatomicos in duos Ventriculos dividitur. Nam Gal. recte 6. de usu part. 9. & 16. 7. admi. an. 11. censet numerum, ventricularum cordis, non ex magnitudine aut quantitate animalium sed ex actionis necessitate, sumendum esse. Cum enim animalia quae per os & fauces respirant, vocemque edunt, necesse fuerit pulmone esse instructa, dextrum quoque cordis ventriculum in ipsis fabricata est natura, è quo tanquam penu aliquo alimentum pulmoni suppeditetur; pisces vero ut pulmone desituuntur; ita & dextro cordis sinu. Cum enim in aquis degant, vocem non edunt, nec per fauces respirant sed per branchiarum foramina tenuissima aliquid aeris intro recipiunt, sed non multum, neque indiget eorum cor multo aere, cum pisces sint frigidiores, utpote sanguine hacten multo prædicti.

2. Quare duo tantum sunt cordis venriculi aut thalami in homine; quem vero in maioribus animalibus medium vult esse Arist. à sinistro non est discernendus Hipp. yasius Galenus nominatus de usu part. 11. vocat.

3. Dexter qui non exacte rotundus, luna crescenti similis, longè maior sinistro, Sanguineus. Gal. in lib. 6. usu part. & Ruffo appellatur, seu βλεβωδης quia sanguinem à cavâ venâ allatum ulterius coquit, & perficit, ut idoneus fiat, ad alendum pulmonem Archang. Laurent. Bauh. d.l.

4. Sinister pyramidis figuram exprimit, Arteriosus & Aerius dicitur, alijs spongiosus, Gal. lib. 6. usu part. 7. spirituosus, qua aereum attrahit & spiritum vitalem continet. Estque priore multò angustior, parietibus includitur ob spirituum tenuitatem, ne exhalantes dissipentur.

5. In

5. In utroq. Ventriculo fibra carnis expertes conficiuntur, quas Aristot. nervos esse opinatus est, cum ait cor in maximo suo sinu nervos habere, sed nihil aliud sunt, quam processus membranarum, quae tanquam valvulae vasis cordis obiciuntur, neque ut nervi vim aliquam, e corde in corpus animalis expromunt.

6. Inter hos Ventriculos medium septum est à sinistro in dextrum protuberans, eiusdem cum carne cordis substantia. Quod et si poris quibusdam pertusum esse scribant Anatomici, per quos transsudando sanguis è dextro in sinistrum assumatur. Vesalius tamen se eiusmodi meatuum ne vestigia quidem deprehendere potuisse affirmat, itaq. quid de illa sanguinis Aperiōtū statuere debeat dubitat.

7. Columb. lib. 7. & Plat. in tab. sanguinem in dextro attenuari & per venam arteriosam in pulmonem deferri & perforamina septi transversi transfire putant.

8. Botallus ferri ait sanguinem per ductum quandam à se inventum, qui à dextra auricula in sinistrum feratur, qui in Vitulis & junioribus animalibus reperitur, in homine vero & animalibus proiectioribus non ita patet.

9. Ulmus afferit sanguinem arteriosum in liene percoqui, attenuari, preparari deinde in Aorta truncum, & ab eo in sinistrum cordis ventriculum ferri, ubi cum aere in pulmonibus preparato misceatur.

10. Varolus ait, nullum unquam demonstrasse quomodo fiat transitus & nullam viam realem extare.

11. Nos vero cum Bauh. lib. 2. & Laur. lib. 9. afferimus, sanguinem è dextro sinu per foramina septi ferri, ut Gal. etiam lib. 3. nat. facul. c. 15. his verbis innuit; Pari autem modo in ipso quoq. corde ex dextro eius in sinistrum trahitur, quod tenuissimum est habente scilicet in se, eorum interposito septo foramina quedam, in quae prae altè descendere obtutu licet, veluti in profunditates quasdam, quae ex latissimo ore, magis magis semper in angustum con-

B

trahun-

trahuntur. Ipsi s̄g, tamen ultimos etiam fines tum propter parvitatē, tum quod in animali jam mortuo, omnia jam sint perfrigērata ac densata contueri non licet. Et addit: Ceterum hic quinq; has sinuum cordū communes viae ratio deprehendit. Primum quidem ea que inde ducitur, quod natura nibil molitur frustra, non enim temere aut fortuito facti sunt illi profundi meatus, qui adeo in angustum finiuntur. Secundo quod cum in dextro cordis sinu duo ora sint, Unum quo sanguis invehitur alterum quo emittitur: longè maius est id quo infertur quam illud quo emittitur, tanquam non omnis sanguis, quem vena cava cordi infert ex illo rursus in pulmonem emittatur, maior est ea cava pars que in cor inseritur, quam vena ea que in pulmonem procedit. Hāc enī Galen.

## De Auribus Cordis.

1. Ad latus utrumq; auriculas habet, que sunt molles, cavernose & nervose. roboris gratia, à similitudine non actione ita dicta.
2. Carne constant à substantiâ Cordis diversâ & que ad cutis figuram fermè accedit, vasis & nervis nullis intertexta. Dextra obducitur totâ anteriore radice Vene cava secundum longitudinem, quemadmodum sinistra exortui arteriæ venosæ. Estque sinistra durior, crassior & pinguedine extrinsecus donata, dimidio fermè minor dextrâ, sicut & orificio Venosæ arteriæ angustius est orificio Vene cavae. In fœtu & recens natis auriculae promole cordis grandiores sunt, quam in etate profectis.
3. Usus harum est ut sint promptuaria, dextra sanguinis, sinistra aeris, ne cor nimis subito & confertim illa attrahens, aut vas a rumpat, aut sibi ipse damnum adserat. Nam secundum Veſaliū

Saliū non tantum fulcri causa additæ sunt auriculae, radicibus vasorum cordis, sed etiam vim quandam obtinet preparandi sanguinem & aerem, priusquam in ventriculos cordis recipientur. Hipp. lib. de Corde adhuc alium usum agnovit, ut scilicet follium instar cor refrigerent. Laurent. 6. lib.

4. Observatum est hoc est, inter omnes cordis partes ultimò moveri in morientibus auriculas, nam imminente morte, primum moveri desinit cordis mucro, deinde ventriculi conquietescunt, postea basis, solis adhuc auriculis se distendentibus & contrahentibus, quarum ultima dissolutio est natura & vita extinctio.

## De Vasis Cordis & Eorum Valvulis.

Vasorum Cordis breviter haec est ratio: Cor ventriculos duos habet dextrum & sinistrum, quorum quilibet habet vas exportans & importans.

1. E dextro primum enascitur, secundum Arist. & Vesal. aut huic accrescit vas importans secundum Gal. & alios Medicos. Vena cava scilicet que sanguinem adserit, quo partim Cor & Pulmo alitur, partim assumpio quoque aere spiritus vitales in sinistro cordis thalamo gignuntur.

2. Alterum vas est vena arterialis Grecis Φλεψ δηρηγωδης dicitur, que attenuatum & preparatum in corde sanguinem, ad pulmonem nutriendi gratia vehit unde exportans dicitur, ab egressu in duos grandes ramos divisa, quorum alter in dextram, alter in sinistram pulmonis partem inseritur & uterque postea innumeris ramorum surculis per totum corpus eiusdem spargitur. Hae vena arterialis sexduplo densior est, quam vena alia, ne sanguis subtilior exhalet, & ne rumpatur ipsa continuo cordis & pulmonis motu, neve co-

pia sanguinis ultra modum turgens hæc vena, pulmones compri-  
mat eorumq; motum impedit.

3. E sinistro cordis ventriculo oritur alterum vas exportans,  
Aorta, truncus, Arteriarum omnium Gracis δέρηγα μερόλην; sunt q;  
Arteria spiritus vitalis canales, ac propterea sanguinem continent  
arteriale dictum sanguine venarum multo tenuiorem, flavum,  
fervidum at q; spumosum, de quo & aere expulmonibus hausto spi-  
ritus vitales nascentur at q; in eodens veluntur.

4. Hec arteria antequam Pericardium excidit ramulum  
quem Coronarium vocant in cordis basin reflectit, mox pericardi-  
um egressa, dividitur in duos magnos ramos, descendenter &  
ascendenter. Ascendens emittit duos ramos, maiorem & minor-  
em. Maior emittit arterias intercostales & utring, Phrenicam  
unam, quæ post diaphragma disseminatur. Maior truncus ascen-  
dens dividitur in subclaviam dextram & subclaviam sinistram.

5. A subclavia dextra quiung emergunt ramuli, intercostalis  
superior, mammaria, muscula, cervicalis, quæ cum sua conjugæ, plexum  
illum in cerebro qui Gra. χυγοειδes dicitur effingit, postrema  
Carotis est sic dicta quod Carum & Apoplexiā excitet, si interci-  
piatur, denegato aditu vitali spiritui, qui animali materiam sub-  
ministrat. Hac una cum jugulari internâ ascendens priusquam  
Craniū ingrediatur, sere in omnes partes capitis surculos mittit.

6. Quod reliquum est Carotidis in brutis animalibus ut Co-  
lumbus & Fallopius putant infinitos ramulos, in homine vero  
non ita conspicuas à se dimittit, ut ad Oculos, Musculos temporales  
& alios, tandem circa ventriculos cerebri, cum ramulis Cervica-  
libus plexum labyrinthum efformat.

7. Simili ferè modo subclavia sinistra distribuitur nisi quod  
Carotidem non emitit.

8. Ultimò reliqua pars rami subclavij ad axillæ aspervenite  
productæ arteriam axillarem à quâ due prodeunt. 1. Thoracica quæ  
duplex anterior & posterior, illa in anteriores hæc in posteriores tho-  
racis

racis musculos fertur. 2. Basilica, quæ etiam duplex profunda & subcutanea (huius beneficio pulsum exploramus) à quibus varijs rursus disseminantur surculi.

9. Descendens Arteria magna ramus priusquam in ramos iliacos dividatur novem profert propagines. 1. Est Costalis major. 2. Phrenica de quibus supra dictum 3. Cœliaca, quæ non solum multos ramos ad Ventriculum mittit, unde etiam nomen habet; sed etiam ad portæ similitudinem, Omento, duodeno, jejunii initio, coli parti, hepati, Vesicæ fellis, Pancreati, & Lieni varijs ramos offert. 4. Mesenterica quæ duplex superior & inferior, illa in superiorē Mesenterij partem, & Coli maximam partem fertur, hæc humilem sive inferiorem mesenterij sedem subit, ac potissimum in Coli sinistram partem ac rectum intestinum distribuitur. 5. Renalis seu Emulgens, quæ serosam humiditatē in arteriis, & quidem copiosissimam, contentam expurgat. 6. Spermatica seu Seminalis in utroq. latere. 7. Lumbaris quæ in lumborum vertebrae permeat & medullam spinalem alit. Postrema muscula dicitur, quia ad musculos lumbares fertur.

10. Postquam hos septem arterie descendentes truncus, diffudit rivos circa lumborum vertebrae inferiores, vel supra os sacri principium, in ramos duos magnos dividitur, qui Iliaci ratione partium quas perreptant dicuntur, quorum ut ergo rursus in quinq. surculos dividitur, 1. Sacer dicitur qui ad os sacrum fertur. 2. Hypogastricus satis magnus, qui recta deorsum fertur; & ad Hypogastrij partes ut vesicam, uterum, surculos diffundit. 3. Umbilicalis & sic dicitur quia ab umbilico emergit, cuius beneficio fetus in utero vivere & transpirare dicitur. 4. Epigastricus sic dictus quia per abdominis musculos extra ventris cavitatem excurrit. 5. Pudendum, qui ad pudenda fertur, & in tot ramos quot vena dividitur. Hi ramuli sive arteriole dum sanguine aut flatuo spiritu, turgent penem seu mentulam distendunt.

11. Arteria reliquum in crus fertur & cruralem arteriam constituit, à qua prodeunt sequentes. 1. Muscula, quae ramum externū anterioribus internū verò interioribus femoris musculis communicat. 2. Poplitea, tricus posterior descendens, sub poplite, in posteriores femoris musculos excurrit. 3. Suralis, ramos cuti, genu & pedis musculis communicat. 4. Tibicea surculos in anticos & in posticos tibiae musculos transmittit. Reliquum Cruralis cædiciis pedi & digiti huius arteriolas largitur. Tantum breviter saltem de distributione arteriæ magnæ, qui vult legat Vesaliū, Laurentium & Bauhinum, jucundissimè enim & doctissimè de huius distributione scribunt.

12. Alterum, vas importans est Arteria venosa, Græcis δετηρια Φλεβῶδης dicitur, que duobus etiam ramis in utroq; pulmonis lobos distribuitur, aeremq; inde haustum cordi adserit, simulq; halitus fuliginosus è corde educt. Venit & ipsi sicuti cæteræ arterie, excepta afferata, aliquid sanguinis arterialis, quem nutritio- nis causa ad Pulmonem quoq; transmittit, & sic vena arterialis beneficium complet. Nomen habet arteriæ ab usu, quod aerem ve- hit. Venosa autem à substantiâ venarum simili.

13. Singula etiam vasorum orificia membranulas seu valvulas habent, quarum duo genera, aliae foris intro, aliae intus foras spectant, illæ fibris carneis prædictæ sunt, & ad unam cordis cuspidem pertingunt, ibiq; triangularem efficiunt △. haec tunc falcatae figuram repræsentant C. Harum membranularum seu valvularum numero undecim sunt, tres singulis trium vasorum orificijs, ut vena cava, arteriali & magna seu aorta, duæ autem membrana arterie venose dunt axat annascuntur Bauhin. l. 2. 23.

14. Haec valvulae in his vasis magnum habent usum, nam cum cor dilatatur a vena cava in dextrum sūnum sanguinem suscipit, ab arteria autem venosa aerem sinister ventriculus haurit: & dum haec valvulae connivent ingressui cedunt, dum verò cor constringitur, haec clauduntur, ne id quod suscepérunt per easdem vias retro-

et retrocedat, atque tum temporis magnae vena seu aorta, & venosae valvulae recluduntur, & aditum praebent sanguini spirituoso in totum corpus excurrenti, item fuliginibus emittendis cedunt, ut notum.

15. Usus cordis duplex generatis & specialis. Generalis respicit totum corpus. Nam cor est officina spirituum vitalium, quos non solum perficit, sed etiam toti corpori vita gratia communicat. Quod enim vivimus cordi acceptum ferendum. 2. Cerebro communicat spiritus ut ex ijs generet animales, qui motum & sensum corpori impertinent. Specialis est ut sit pulsus & affectus officina.

16. Pulsus quod attinet, est motus cordis naturalis, quia aerem frigidum attrahit & fuligines expellit. Quanquam enim calor naturalis non igneus est, sed aethereus, tamē perpetuò frigidioris aeris appulsi indiget, quo deficiente paulatim extinguitur. Nam causa interioris calorius naturalis triplex est. 1. Denegata refrigeratio, ut in aestu vehemens, ubi aer foras elicetur & dissipatur. 2. Defectus pulbi, quod est aer, quo caloris substantia conservatur. 3. Halituum fuliginosum retentio, quo cor non aliter atque flamma, crasso multo fumo opprimitur & suffocatur. Pulsus igitur ob cordis maximum calorem temperandum ac fovendum est necessarius, sicut in ceteris corporis partibus idem præstat pulsus arteriarum, et si spiritus etiam vitalis hoc cordis motu fit in pulsu τυσοληνη Διγολη, quarum haec dilatatio est cordis & ventriculorum, illa constrictio cordis & eorum, quæ in hoc continentur, expulsio, inter quæ duo gemina quies intercedit, una supra, quæ ad Διγολην, altera infra, quæ ad ουσολην terminatur.

Atque singula haec morbis & affectib. animi mutantur, unde variae postea pulsuum differentiae existunt, quas Galen. Hercules Saxonica ac alijs prestantiss. Medici accuratè notant & distinguunt.

17. Ceterum non solum cordi pulsus inest, sed & arteriis communica tur. Sicut n. sol sua virtute radius transfusa in hac inferiora, ita quoque corde pulsandi facultas transfertur ejusmodi. Neque dilatatur arteria, q[uia] spiritu e corde in harum cavitatem represso impletantur,

quod

quod falsò Erasistrati docuisse Gal. refert, ut in questionibus docebitur: sed quod à vicinis partibus aërem & sanguinem hauriant, ut experientia testatur. Quemadmodum enim cor dilatatum, ea, quæ orificijs vasorum appropinquant, attrahit, contractum expellit, ita eadem vi arteriæ impulse, cum se apperint & dilatant, & cat' vasorum, ut Gal. probat, alliciunt è venis sanguinem, & per pores cutis frigidum aerem: Cum contrahuntur fumos calidos in cutem & subditas partes expellunt.

18. Cum itaq; arteriæ in toto corporis ambitu, aerem circumfusum hauriant, & fuliginosos halitus exprimant, hac consideratione Hipp. corpus nostrum foras & intrò perspirabile esse dixit. At q; ob motum hunc arteriarum, accidit interdum ut in ijs, qui Apoplexia vel uteri suffocatione laborant, sine motu thoracis & respiratione vita in triduum proferatur.

19. Quanquam autem pulsus usus est, ut calorem cùm in corde, tūm in toto corpore custodiat & conservet, tamen ad cordis calorem temperandum solus ille non sufficit, sed cum cor sit membrum calidissimum, quodammodo indigeret, quod sunt Pulmones. Hinc etiam patet magnam esse pulsus, & respirationis in fine & usu cognitionem. Quod enim pulsus prestat toti corpori id respiratione toti cordi, organis vero differunt sicut & virtute, ut & facultate impellente. Etenim respiratio est à facultate animali, pulsus à vitali ut Gal. vult, eum alijs vim pulsus efficientem peculiarem statuant in corde & arterijs, & diversam planè à vitali, quæ in corde tantum consistens, spiritus gignat, vitamq; & calorem toti corpori de hoc fonte impertiat.

20. Altera cordis actio naturalis sunt affectus, ij nempe qui sine contactu fiunt, sequentes tantum cognitionem. Nam alijs sunt affectus qui à corde sine contactu nervorum fiunt, qui sunt deletione & dolor ut suo loco doccebimus.


Hac

I. In figura transversa  
Hæc Figura Cor per transversum dissecatum ostendit, ut Cordis substantia secundum ipsius ventriculos Crassities in conceptum veniret.



- A. Caudex Vene Cava quæ conceptaculum est nutrimentalis sanguinis cum naturali Spīritu confusi.
- b. Vena arteriosa nutritionis ergo expansa pulmonibus.
- c. Involucrum cordis
- d. Auricula dextra.
- e. Auricula sinistra.
- f. Caudex magnæ arteria.
- g. Vena hinc inde circa caput cordis propaginibus suis sparse Corona in modum ambitu eius redimit se. Quia inde meritò appellata cuius nutricatu cor educatur.
- h. Dexter ventriculus venosus.
- i. Sinister arteriosus.
- k. Septum intermedium satis spissum.

Figura prima faciem Cordis anteriorem ostendit.



- A. Cor est.
- B. Vena arterialis.
- C. arteria magna.
- D. Canalis per quem Vena arterialis in factu connectitur cū arteria magna.
- E. Arteria venalis.
- F. Vena cava quarum

connectio clarius in secunda figura patet.

C Sc-

Secunda figura faciem posteriorem cordis ostendit.

- A. Cor est.
- B. Vena cava sursum scandens.
- C. Arteria venalis.
- D. Unio horum duorum vasorum per anastomosin, quae oculis lustrari non potest, nisi sectione facta.
- E. Arteria magna.
- F. Vena arterialis.
- G. Canalis per spiritum efficitur unio arteriae magnae cum vena arteriali.
- I. Vena cava qua se insinuat in dextrum cordis sinus propè auriculam dextram.
- K. Pinguedo ad basin cordis cumulata.

## De Accidentibus

### Cordis.

1. Licet cor in medio thorace situm sit, tamen turbinato mucrone sensim ad anteriora versus sinistrum latus exporrigitur. Ad anteriora quidem ne cordis basis, eiusq; sinus in violentis motibus ossium duritie laderentur. In sinistrum verò exporrigitur propter venam cavam & epar, quae in dextro sunt. Non autem rectâ neg, in hoc neg, in illud fertur latus, ne diaphragmati impedimento esset.

2. Magnitudo in omnibus non est eadem. In homine verò cordis magnitudo sicut & jecoris & cerebri proportionaliter grandior est quam in ceteris animalibus, quia plus homo nativi caloris extensivè sed non quantitativè habet. Deinde his grandius cor datum est quæcumq; timida & ignava sunt animalia, ceteris autem pusillum aut mediocre teste Arist. lib. 3. de part. anim. 4. quoniam in illis calorem non habet cor proportione respondentem, quan-

quanquam ratio contrarium suadere videatur Archang. dict. I.

3. Figura huius pyramidalis ut Hipp. lib. de corde ait, nuci, pinea, & cono similis est.

4. De cordis temperamento non convenit inter Philosophos & Medicos: illorum enim non postremus Averrhoës cordis humidum & frigidum temperamentum propugnat, 1. quod maiori sua parte constet fibris, vasis quatuor insignibus, vena cava, arteria magna, vena arteriosa, & arteria venosa, que quia spermatica sunt partes, ideoq; etiam exangues & frigidae, ideoq; per accidens cordi calorem attribuit, quatenus sanguinem arteriosum & spiritus vitales calidissimos continet, & quatenus perpetuo movetur. 2. quia substantiae solidae est & crasse, 3. quia in eius basi reperitur copiosa adeps, quae frigiditatis indicium etiam ex ipsius Galeni sententia nominari potest. Medicorum vero principes Galenus & Hippocrates contra cor calidum & siccum esse existimant, 1. cum sit fons & principium omnis caloris, 2. Sanguinem gignat arteriosum, venosum attenuet, & spiritus vitales calidissimos pulmoni præparet, quæ omnia calori ascribenda sunt, non frigori, ut potè quod caloris causa esse nequit nisi per accidens & per antiperistasis, cum videlicet causa est, ut calor, qui jam ante in toto corpore vel membro fuit propter unionem virium magis intendatur: Sanguinem vero ut frigus gignere possit, tantum abest, ut potius eum corrumpat, ut videre est in hydropicis, in quibus propter intemperiem frigidam epatis ne quidem sanguis venosus elaborari potest: Spiritus autem fabricare nequit, cum potius eos in vapores & densam materiam constringat, ut in illis apparet, qui cerebri nimia frigideitate laborant. Huic sententiae nos quoq; subscribimus, & Galeno non tantum argumentis, verum etiam experientia contrariae opinionis fautores refutanti, credimus, cum inquit: in recens dissecti cordis ventriculos digitum immittas, tamen ingentem eius calorem percipes, ut urat. Ad primum autem contrariorum argumentorum respondemus, quod, quamvis in corde sint multa vasa spermatica,

non tamen eius substantiam compleant, sed carnem praecipuam cordis partem esse. Ad secundum propterea cor magis calidum esse præ reliquis visceribus, propter solidam substantiam, calor enim magis efficax in solidis, quam rarioribus corporibus, in paleis enim non adeò urens est ignis, quam in ferro candente. Ad tertium: ad ipsum in cordis substantia generari omnino negamus: interim tamen membranas corde aliquantò frigidioribus adhaerere afferimus, & quendam certum ob usum ijs adnasci, ne cor ardore assiduo torreretur.

De temperie Cordis vide Gal. l. de temper. c. 3. 4. & de plac. Hipp. & Plato: & lib. 10. de simp. Med. facultat. Fr. Valles. controvers. lib. 1. c. 10.

## QuæSTIONES. An cor sit sedes animæ?

Cum reliquorum corporum animatorum animæ sint extensa per totum corpus, & qualibet eorum, pars abscissa & à toto avulsa vivat ut in plantis & insectis videre est: in homine vero si quedam pars toti non cohareat, nec vivere nec animata amplius dicatur, non immerit quæritur, quanam in humano corpore sit animæ rationalis sedes, an cor, animalis facultatis sit receptaculum, an vero cerebrum? Prioris sententie patronus Aristoteles has pro corde adducit rationes: 1. quod ubi sit principium caloris ibi etiam ipsa sit anima, cum calor sit primum organum omnium animæ functionum: Cor vero principium est calor. E. & domicilium erit animæ. 2. Quod ultimò moritur & primum vivit animæ sedes est. Cor id prestat. E. Major probatione indigere non videtur, quia vita immediate sicut ab anima. Posteriorem sententiam, Medici sequentibus astrinxunt argumentis: 1. Ubis sunt animæ functiones nobiliores, ibi ipsa est anima, quia forma ubi est ibi otiosa non est:

Nobi-

Nobiliores autem operationes animae sunt in cerebro. 1. cerebrum sedes est animae. 2. Illud membrum est sedes animae propter quod reliqua omnia sunt constructa: at propter cerebrum omnia sensuum organa sunt constructa, propter sensus vero animali data sunt organa loco movendi, ut ossa, nervi musculi; ad horum vero conservationem, cor, epar, ventriculus & reliqua intestina condita sunt. 3. Si facultatum principum quedam afficitur, cerebro, non cordi remedia adhibentur. Non E. cor sed cerebrum, in quo functiones animales apparent, sedes animae erit. 4. Si cor esset sedes animae utique corde laeso actiones animales impedirentur, quia anima actiones suas perficere non potest, nisi organa recte sunt disposita: sed laeso corde omnes actiones animales salva manent. E. Nos conciliari has opiniones putamus, si dicamus animam cordi radicaliter inesse, propter eminentiam, quam cor habet praereliquis membris in eo, quod totius animalis vita per generationem caloris & spirituum propiciat, sine quorum influxu vita perit in toto; qua sublata anima a corpore separatur: manifestative vero in cerebro, quia ibi actiones suas propter organa rectius obire potest. Hinc quamvis anima radicaliter insit cordi, non tamen per accidens corpus informat, quia reliquis partibus radicaliter non inest, anima enim ubi cunq[ue] est, ibi essentialiter est, non vero ubi essentialiter est, ibi quoq[ue] radicaliter est, eo modo ut nos accipimus.

## An cordis motus fit animalis, an naturalis?

Quia corpor propter salutem animalium & fabricationem spiritus vitalis in sinistro sinu perpetuo movetur, ut si desineret motus ille, mors animalis subsequeretur, ideoque questio apud Anatomicos oborta est, sine motu ille animalis, an vero naturalis? Nos naturalem motum cordis esse statuimus 1. quia fit absque precedente cognitione, motus vero animalis fit cum cognitione, 2. quia motus

animalis perficitur beneficio musculorum, cor vero musculus nequaquam dici potest. 3. quia non recipit vim movendi a cerebro, a quo omnis motus animalis dependet, a cerebro enim exiguis nervulus ad cor descendit, quo dissecto cordis motus non cessat, ut notarunt Anatomici in sectione vivorum animalium. 4. Quia causa efficiens & finalis motus huius sunt naturales: causa enim efficiens est vitalis facultas, quae tota in spirituum generationem incumbit perenni illo motu: finalis vero causa consistit in ipsa spirituum coctione, quod opus merito ad facultates animae nutritivae refertur. 5. Quia non potest non moveri ut animalis motus, in eo enim natura ab anima differt, quod naturales facultates ad unam actionem sint adstrictae: animales autem etiam contrarium efficere possint: sic animal ire & non ire, stare & non stare potest.

## An cordis & arteriarum pulsus fit æqualis?

I Næquali & contrario motu arterias cum corde moveri, ita, ut contractio corde arteria dilatentur, dilatato vero corde arterie contrahantur, nonnulli Philosophorum his rationibus affirmarunt: 1. Que non simul implentur & evacuantur illa quoque non simul dilatantur & contrahuntur, ad impletionem enim requiritur corporis dilatatio, ad evacuationem vero eius constrictio. Cor & arteriae non simul implentur & evacuantur, corde enim constrictio arteriae implentur, quia spiritus ad arterias transmittitur. 2. Motus partis transmittentis diversus est a motu partis recipientis, quod in actione ventriculi videtur est, qui cum chylum preparatum hepatis per expulsionem communicat, trahunt eundem ad se venæ Mesoarteria: Cor vero est pars transmittens, arteriae partes recipientes. E. 3. Pulsum arteriarum in brachio, & ictum cordis in pedore simul percipimus: Constricto vero corde pectus percutitur, arterias vero dilatatis fit pulsus. E. earum diversus est motus a cordis motu. Nos econtra statuimus, non ab impulsu sanguinis, nec a furore,

vore, sed à facultate, eaq; non propria, sed à corde manante eodem tempore arterias cum corde attolli & demitti, 1. Quia eadem est finalis causa, moventur enim arteriae aq; ac cor ad nutritionem totius, caloris temperationem, & fuliginum expulsionem. Idem ergo & unus erit motus. 2. Si arteriae contraherentur in systole cordis, non daretur egressus fuliginum è corde, sequeretur subita animalis suffocatio. Unum igitur motum cordis & arteriarum affirmare & autoritate Galeni auctor, & reliquorum Anatomicorum rationibus experientia confirmatis cogimur. Ad primum igitur oppositorum argumentorum respondemus, quod quidem procederet, si arteriae per solam materiam à corde expulsam, non verò à vi pulsifica cordis at tollerentur. Ad 2. divergam esse rationem partium transmittentium & trahentium, quam cordis & arteriarum: illis enim vis expultrix & attractrix insita est, vis verò pulsifica à corde in arterias influit. Ad 3. N. minorem, non enim in diastole sed in systole percutitur.

## An cor primò generetur?

**C**or primò generari statuit Aristoteles, quod negavit Galenus & hepar primò inter omnia viscera generari affirmavit, quod vena umbilicalis eò sanguinem prius refundat quam ad cor: 2. quia ex epatis substantia post factam aëmulari communicatur sanguini cordi, quo cor nutritur, & undè deum in sinistro sanguine cor dis fit fabricatio spirituum vitalium, quorum beneficio virtus vitalis functiones suas obicit.

Temperamentum est calidum, & viscerum omnium calidissimum, in passu vis humidius, sed reliquis visceribus. Vide Gal. de

Caus. pul. c. 3. 4. in arte  
par. c. 30. 1.

F I N I S.



Uk 662

ob prudens et mulieris invenit




1017

h

de et alia iudiciorum omni regio de sancto  
One versione sicut iudee et gentiles credie-  
sicut de sicut et ego per omnem omnibus placet  
hunc quod in uile est si quod multis aut soli  
sunt **Cypri** undetinum  
¶ istud me oportet sicut et ego ipsi dico  
autem res fratres quod per omnia memoria estas  
et sicut tunc uite precipue me tenet  
¶ Quid aut nos sine quod omnes omni caput ipsi  
est caput ut mulierem hoc caput vero ipsi de  
Omnes omnes aut ipsi deinceps velato caput  
aut per caput sunt omnis ut mulier omnis a  
lymnes non videtur caput. Autem caput sua  
omnis est enim auctoritatem suam  
velut mulier. Et hanc autem iuste tunc e  
milia condit a lignari velut caput suum  
¶ Quis uide non sicut velut caput suum sed  
propositum est ergo sicut et mulier est gloriosa  
¶ Et non enim de muliere sed mulier ex  
dicto **Item** non est auctoritas vel operis mulieris  
sed in eo quae virtus sicut sicut mulier de  
lumen habere sicut omnium genitrix regnatur  
¶ Et uero in domino **Item** sunt mulierem  
¶ Et uero in domino **Item** sunt mulierem

### Farbkarte #13



UTATIO.  
 Anatomicarum IX.  
 De  
**R D E.**  
 quam.  
 D. M. A.  
 RÆSIDIO  
**N O B L O C H I I,**  
 Fr., Med. & Phil.D.  
*rebergensum Academia  
endam fuscipet*  
**I S** Eckardus  
*oliensis Siles.*  
*Sept. horis & loco notis.*  
 §):(§  
**E B E R G A E,**  
 nis per Iohan. Gorman.  
 :I, I, C VII.